

I. *Quid sit Suppositio?* SUPPOSITIO est usurpatio vocis in oratione positæ pro aliquo: ut hic, *Omnis homo est animal*, vox illa *homo* usurpatur pro Johanne, Petro, & reliquis hominibus. Suppositio aliter vocari solet *acceptio vocis*.

II. *Unde dicta sit Suppositio?* R. Ex eo, quod vox in oratione plerumque supponatur, id est, substituat in locum alterius, nempe rei per ipsam significatæ; Cum enim, ut ait Aristoteles, res ipsas exprimere: aut in disputationem, aut colloquium adducere non possumus, vocibus loco rerum utimur, & in harum locum illas subrogamus, sicut ad numerandum calculis æneis pro nummis aureis uti mercatores solent. Interdum, tamen vox accipitur pro se ipsa; quo casu non substituitur in locum alterius. Dicitur tamen etiam tunc supponi extensa verbi istius significatione, ad quamcunque vocis acceptionem,

De SUPPOSITIONE IV. not.

MATERIALIS, quæ est acceptio vocis pro se ipsa: ut cum dico, *Homo est dictio dissyllaba*, vox *homo*, accipitur pro se ipsa, id est, pro ipsamet voce, non autem pro significato. Dicitur etiam *technica* & indicatur duabus notis: Una est articulus græcus *τὸ*, id est, *illud*: ut *τὸ animal*, quasi dicas illa vox *animal*. Altera est particula *li*, ut *li animal*, quæ particula æquivalet articulo græco.

III. *Quotuplex sit?*
R. Triplex est generum Suppositio:

SIMPLEX, quæ est acceptio vocis pro suo immediato significato tantum: Id est, pro natura communi vel conceptu communi. Ita sumi dicitur Subjectum hujus, enunciationis, *homo est universale*, non enim significatur, quod Johannes vel Petrus vel quispiam alius homo singularis sit universale, hoc enim falsum esset, sed quod in communi sit universale.

PERSO-
NALIS, de
qua not.

I. *Quid sit?* R. SUPPOSITIO PERSONALIS est acceptio vocis pro mediato significato, id est, pro inferioribus vel denominatis. Sic accipitur subjectum hujus propositionis; *Omnis homo est animal*, accipitur enim pro Johanne, Petro, &c. item subjectum hujus, *Omne album est substantia*, accipitur enim pro pariete, nive &c.

2. *Regula.* Omnis vox, cui præponitur vel proponi potest, manente eodem sensu, aliquod signum, accipitur personaliter.

3. *Species suppositionis personalis*, quæ passim absolute vocantur *Species suppositionis*. *Vide pag. seq.*

IV. *Regula. Vid. pag. seq.*

Q. *Quid*